adorandum. Quid mirum si baptista contremuit, quis vel ipsa cogitatione
non contremiscat. O quam altum erit in iudicio caput quod nunc se inclinat
et vertex qui modo tam humilis videtur quam sublimis et excelsus tunc appa-
rebit. Sine modo inquit sic decet enim nos implere omnem iustitiam. Siquidem
qui in plenitudine temporis venit et in quo habitat omnis plenitudo divinitatis
corporaliter nichil novit nisi plenum. Nam et legem non venit solvere sed im-
plere. ¶ Est autem iustitia quedam stricta et angusta valde intantum quod
vix pedem vertens in [illegible] indis nec preponere se equali nec e-
quare preposito. Huius diffinitio est reddere cuique quod suum est. Alti-
tudo est amplior iustitia nec equare se pari nec inferiori preponere.
Sicut enim grandis et gravis superbia est preferre se equali aut equa-
re prelato, ita magne humilitatis est inferiori se exhibere equalem aut e-
qualem inferiori. Maxima et plena iustitia est inferiori exhibere etiam
ipsi inferiori. Sicut enim summa et intollerabilis superbia est superiori se prepo-
nere, ita inferiori subdere summa et plena iustitia est. Quod inchoavit. Ego
a te debeo baptizari de summa fuit quia superiori se subdidit. Quod autem Christus fecit
de plena iustitia fecit, siquidem ille servuli sui se manibus inclinavit. Vide-
at nunc quisque quomodo mittetur. Hunc [illegible] excellit super omne quod creditur deo
aut colitur. ¶ Studeamus et nos obsecro fratres adimplere omnem iustitiam.
Ipsa enim est via per quam ad gloriam pervenitur. Nam gloria finis est iustitie
et premium et meta. Nam de ipsa iustitia erit gloria nostra cum Christus appa-
ruerit vita nostra et nos cum ipso in gloria quoniam ipse est qui factus est nobis a deo
patre iustitia. Beati vero qui esuriunt de gloria letantur et exhilarantur in con-
scientiis suis sugentes mel de petra oleumque de saxo durissimo. Nunc enim vi-
detur laboriosa iustitia sed veniet tempus in servitute et conditione sua omni
labore desideret et habeat et amet et perpetuat quam fructum ipsa iustitia. Ve
autem hiis qui progrediuntur viam qui relicta iustitia vanam et transitoriam le-
titiam querunt. Cum enim de transitoriis querunt letitiam non poterit non transi-
re cum fructibus hiis de quibus erat. Sicut enim lignis deficientibus ignis defi-
cit sic mundus transit et concupiscentia eius haud dubium quin letitia eorum.

Sermo de evangelica lectione ubi continetur miraculum factum in nuptiis.

In lectione sancti evangelii hodie fratres audivimus quod dominus noster venit
ad nuptias. Faciamus ergo quod alibi monet et studeamus similes fieri
hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis. Nam tenetis
memoriam in agro vendentem aliquid vel emendem in foro non dicimus quid
expectas. Nam enim similes sunt expectantibus. Et vero quem videmus stare ante ia-
nuam pulsare crebrius seperius ad fenestras suspicere nichil mirum si dicitur
quid expectas. Illi ergo sunt similes expectantibus quia eo sensu audiuntur
dicentem. Vacate et videte quoniam ego sum deus. Veniet dominus expectantibus cum
inventurus qualis erat qui dixit Expectans expectavi dominum. Venit tamen
quando revertetur a nuptiis celebratis vino mutatis et tenemus [illegible] nos

tiratu. veniet non exspectantibus tamquam rediens a nuptiis tamquam po-
tens crapulatus a vino. Vae ebriis et immemoribus misericordiae suae. Tunc
enim quanto ad illos oblivisceretur misereri Deus veniet in ira et indignatione ta-
men fremebundus. Domine ne in furore tuo arguas me. Haec non nostrum de pre-
sentibus nuptiis quae per earum occasionem dicta sunt. Jam vero sequitur. una
cum discipulis ad nuptias eadem die ut videres quod futurum est pre-
cedamus cum illis. Deficiente vino dixit mater Jhesu ad eum. Vinum non habent.
Compassa est enim eorum verecundiae sicut misericors sicut benignissima.
Quid de fonte pietatis procederet nisi pietas? Quid inquam mirum si pieta-
tem exhibent viscera pietatis? Nonne qui pomum in manu sua tenuerit
dimidia die reliqua diei parte pomi servabit odorem? Quantum ergo visce-
ra illa virtus pietatis affecit in quibus novem mensibus requievit? Nam
et ante mentem implevit quam ventrem. et cum processit ex utero ab animo non
recessit. Durior forte et austerior videri posset responsio Domini sed non
noverat ille cui loquebatur et quis loqueretur illa non ignorabat. Denique ut
scias quomodo responsum ipsius acceperit aut quantum de filii benignitate praesumpserit
ait ministris. Quodcumque praeceperit vobis facite. Erant autem ibi lapideae
hydriae sex positae. Has nunc hydrias purificandis veteribus Judaeis non litterae sed
spiritu necesse habemus apponere vel magis appositas demonstrare. Quia enim
nimis nondum pervenerunt corda ad perfectam purificationem quam sibi cum Christus ex-
hibebit gloriosam non habentem maculam aut rugam aut aliquid huius-
modi. multis interim purificationibus opus habet quatenus sicut habun-
dant peccata habundet et indulgentia. Sicut multiplicatur miseria sic et gratia nisi
quod non sicut delictum ita et donum. Gratia enim non solum peccata lavat sed merita
donat. Sex igitur hydriae positae sunt his qui post baptismum in peccata labuntur.
De his enim loquimur quia de his sumus. Exuimus tunicam veterem sed heu
peius induimus eam. Lavimus pedes nostros sed peius inquinavimus eos.
Sicut ergo quod alius inquinaverat lavit alius. sic inquinatos a nobis
lavari opus est et a nobis. Aliena lavit aqua quos culpa inquinaverat
aliena. Nec tamen sic aliena dixerim ut neque nostra. alioquin nec inqui-
naret. Sed aliena est quia in Adam omnes nescientes peccavimus. Nostra quia
etsi in alio nos tamen peccavimus et nobis iusto Dei iudicio imputabatur licet
occulto. Verumtamen ut iam non sit quod causeris o homo contra inobedientiam
Adae datur tibi obedientia Christi ut si gratis venundatus es gratis et redima-
ris. Si nesciens in Adam peristi nesciens vivificeris in Christo. Nescisti quomodo ad
lignum vetitum vetus Adam extendit manus nequius. Nescisti nihilomi-
nus quomodo in ligno salutifero innoxias manus Christus extendit. A proximo
fonte in te manavit macula qua contaminatus es. a Christi latere aqua qua
mundatus es. Nunc iam propria culpa propria. propria nihilominus aqua
mundaberis ab illo tamen et per illum qui solus est purgationem faciens pec-
catorum. Prima igitur hydria prima purgatio in compunctione est de qua legi-

mus. Quoniam in quacumque hora ingemuerit peccator omnium iniquitatum eius non recorda-
bor. Secunda vero confessio est olla siquidem in confessione lavatur. Tertia lar-
gitio elemosinarum hanc enim habes in evangelio Date elemosinam et omnia munda sunt vo-
bis. Quarta est remissio iniuriarum secundum quod orantes dicimus dimitte nobis
debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Quinta est afflictio cor-
poris vigiliis et orationibus et mundi per abstinentiam deo animam gloria. Sex-
ta est obedientia preceptorum sicut audierunt discipuli quod utinam audire
mereamur et nos. Vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.
Minime quia non erant sicut hii quibus dicitur. Sermo meus non capit in vobis. Sed
in auditu verbi obedierunt ei. Hee sunt ydrie sex posite in purgationem
nimirum que vacue sunt et plene veniunt si pro inani gloria observantur. Aqua
replentur si timore dei custodiantur quoniam timor domini fons vite. Aqua timor
domini est et si minime sapida sed optime refrigerans animam noxiis desideriis
estuantem. Aqua est que iacula inimici ignea possit extinguere. Nam
nec istud dissonat quia aqua semper ima petit et timor ad ima regionum
deducit et in inferioribus immoratur atque horrenda loca pavida mente col-
lustrat iuxta illud. Vadam ad portas inferi. Sed divina virtute aqua
mutatur in vinum quando perfecta caritas foras mittit timorem. Dicuntur autem lapidee
ydrie non tamen propter duritiam quam propter stabilitatem capientes singule me-
tretas binas vel trinas. Due metrete duplex timor ne forte tradi in gehen-
nam ne forte ab eterna vita contingat excludi. Sed quia de contingenti fu-
turo sunt ista et blandiri sibi anima potest dicens. Postquam aliquamdiu in volupta-
tibus tuis vixeris ages penitentiam nec ista iam metuens nec pertimens illa.
Bonum est adhibere et tertiam que utique specialius notior est eo utilior quo de
presenti est. Timent enim qui noverunt sponsale sponsi de cibo ne quando forte fina-
tur eo cibo siquidem forti egent qui manum miserunt ad fortia. Vivunt
de paleis egyptii qui deserviunt in operibus luti et lateris. Nobis fortior
cibus est necessarius quibus nobis grandis restat via ut ambulemus in fortitudi-
ne cibi illius. Ipse est panis angelorum panis vivus panis cotidianus. Hic
est de quo promissum est quod centuplum accipiemus in hoc seculo. Sicut enim
mercennariis et cibus cotidianus datur in opere et merces servatur in fine sic dominus
vitam eternam in fine reddet et interim centuplum repromittit et exhibet.
Quid ergo mirum si timet ne ledat hanc gratiam qui iam consecutus est eam.
Hec est metreta tertia quam sub distinctione signanter posuit cogitans omni-
bus quia nec omnibus centuplum est promissum sed solis qui omnia reliquerunt.

Sermo de mutatione aque in vinum.

Nobilibus operibus domini fiunt et minus capaces ad exteriora curio-
sitatis pascunt et qui magis exercitatos habent sensus solidiorem intus
cibum inveniunt et suaviorem tamquam adipem medullamque frumenti.
Sunt enim exteriori specie admirabilia et interiori virtute multo admirabiliora
quemadmodum ipse quidem exterius quamquam speciosus erat forma pre filiis hominum

interius autem tamquam candor lucis eterne etiam ipsis supereminens vultibus an-
gelorum. Apparebat enim sicut homo simplex animo sicut pecus agnus sicut ma-
rite. Quam speciosi pedes annunciantis pacem annunciantis bona sed multo
speciosius et gloriosius caput eorum quia caput Christi Deus. Delectabilis aspec-
tus hominis in quo peccatum non cadit et bene credit qui videtur sed multo magis
bene credit qui ipsi Deum videbunt. Denique cum pervenisset ad nudam testam
iam licet decorem valde non reputabat apostolus dicens. Et si cognovimus ali-
quando secundum carnem Christum secundum carnem sed nunc iam non novimus. Nimirum quia Deus ipse per-
diderit caro non prodest quoniam spiritus est qui vivificat. Sed hec est scri-
ptura que legitur. Paulus inter perfectos non inter eos quibus legimus ab eo dic-
tum. Nichil arbitratus sum me scire inter vos nisi Ihesum Christum et hunc crucifix-
um. Totus suavis est totus salubris est totus delectabilis totus denique secundum
sponse vocem desiderabilis. Sicut autem in eo ostensum est sic et in operibus eius
reperies multa et superficies ipsa tamquam a foris considerata decora est valde.
Sed si quis fregerit nucem intus inveniet quod iocundius sit et multo amplius
delectabile. Nonne sic apud patres veteris testamenti reperies multa in operibus eorum
decora et delectabilis est significatione mystica ipsa tamen si per se considerentur in-
veniuntur aliquando minus digna ut sunt facta Iacob adulterium David et multa
similia. Preciosa quidem sunt secreta sed visa non a Deo precepta. Et fortasse propterea
dictum est tenebrosa aqua in nubibus aeris quia tenebrose nubes ille fuerunt et
subiunctum est de Deo. Pre fulgore in conspectu eius nubes transierunt. || Ecce
do iam advertistis ad quod hec dicere volumus. Audistis enim hodie in evangelio
factum in nuptiis primum utique signorum Domini. Et historia satis est et admira-
bilis et significatione amplius delectabilis. Magnum enim divine maiestatis
indicium fuit ad nutum Domini aquam in vinum converti. Sed et alia multo melior
mutatio dextere excelsi que in istis prefiguratur. Omnes enim nos ad spiritua-
les nuptias vocati sumus in quibus utique sponsus est Christus Dominus unde in
psalmo. Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo. Sponsa vero nos
ipsi sumus si non vobis videtur incredibile et omnes simul una sponsa et anime
singulorum quasi singule sponse. Sed quando hec sentire potest singularis vermis
de Deo suo quod eo affectu diligit nos quo diligit sponsus sponsam. Admodum e-
nim est hec sponsa sponso suo inferior genere inferior specie inferior digni-
tate. Attamen propter ethiopissam istam de longinquo filius eterni regis ad-
venit et ut sibi desponsaret illam etiam mori pro illa non timuit. Moyses
quidem ethiopissam duxit uxorem sed non potuit ethiopisse mutare
colorem. Christus vero quam adamavit ignobilem adhuc et fedam gloriosam
sibi exhibuit ecclesiam non habentem maculam neque rugam. Murmuret Aaron
murmuret et Maria non nova sed vetus non mater Domini sed soror Moysi non
mater tamquam Maria. Illa enim sollicita est si quid forte desit in nuptiis. Vere autem
et dignum est murmurantibus sacerdotibus murmurante synagoga toto af-
fectu in gratiarum actione versari. Unde tibi enim o humana anima. Unde tibi ho-

vide tibi quam inestimabilis gratia ut eius sponsa merearis esse in quem desiderant
angeli prospicere. Vide tibi hoc ut ipse sit sponsus tuus cuius pulcritu-
dinem sol et luna mirantur ad cuius nutum universa mutantur. Quid retribues
domino pro eo quod retribuit tibi ut sis socia mense socia regni socia denique
thalami ut introducat te rex in cubiculum suum. Vide iam quid de deo tuo sen-
tias vide quantum de eo presumas. Vide quibus brachiis virtutis mutatis redaman-
dus et amplectendus sit qui tanti te estimavit immo qui tanti te fecit de
latere eius suo te formavit quia pro te obdormivit in cruce et ob hoc somp-
num mortis excepit. Propter te a deo patre exivit et matrem synagogam reli-
quit ut adherens ei unus cum eo spiritus efficiaris. Et tu ergo audi filia
et vide et considera quanta sit erga te dignatio dei tui et obliviscere
populum tuum et domum patris tui. Desine mundales affectus seculares mores
dediscere abstine a prioribus viciis. Consuetudines noxias obliviscere. Quid enim
putas? Nonne sunt angeli domini qui scient te medium si forte quod aver-
tat ipse dominus admiseris amatorem? Iam enim desponsata es illi. Iam imp-
narum prandium celebratur. Nam cena quidem in celo et in aula eterni patris
verumtamen nunquid ibi vinum deficiet? Absit. Inebriabimur ibi ab ubertate
domus dei et torrente voluptatis eius potabimur. Paratum est profecto illis
impetus fluminis boni. Vinum inquam quod letificat cor. Siquidem fluminis impetus
letificat civitatem dei. Nunc autem quamvis gaudeat nobis restat vina prandium
quidem accepimus hic sed non in tanta copia quia plenitudo et satietas cene
reservetur eterne. Hic ergo non numquam vinum deficit gratia scilicet devotionis et fervoris
mutantis quotiens michi necesse est fieri post lacrimosis querimoniis ves-
tris exponere matri misericordie ut suggerat suo benignissimo filio quia vi-
num non habetis. Et ipsa dico vobis tamen si pie a vobis pulsata fuerit non de-
erit quia misericors et mater misericordie. Nam si compassa est verecundie illorum
a quibus fuerat invitata multo magis compatietur nobis si pie fuerit invoca-
ta. Placent ei nuptie nostre et pertinent ad eam multo amplius illis nuptiis
de cuius utero tamquam e thalamo suo celestis sponsus processit. Sed quid
non movebat quod inquit illis videtur dominus benignissime ac suavissime matri
sue. Quid michi et tibi est mulier? Quid tibi et illis est domine? Nonne quod filio
et matri? Quid ad illam pertinet queris cum ipse sis benedictus fructus ventris
eius immaculati? Nonne ipsa est que salvo pudore concepit et sine corruptio-
ne te peperit? Nonne ipsa est in cuius utero novem mensibus moratus es. Cuius
virgineis uberibus lactatus es. Cum qua iam duodecim annorum factus de Jeru-
salem descendisti et eras subditus illi. Nunc ergo domine quid molestus es illi
dicens quid michi et tibi? Multum per omnem modum. Sed manifeste iam video
quod non velut indignans aut confundere volens virginis matris teneram vere-
cundiam dixeris quid michi et tibi cum venientibus ad te impetu matris propter mi-
nistris nichil curatum fuerat quod illa suggesserat. Ut quid ergo fecis-
set quod sic viderent prius? Utique propter vos ut converteretis ad dominum iam non

sollicitet carnalium cura parentum et necessitudines ille non impediant ex-
ercitium spirituale. Quandoquidem enim de mundo sumus debitores nos constat esse paren-
tibus. Nec postquam reliquimus nosmetipsos multo magis ab eorum sollicitudine
liberi sumus. Unde et legimus fratrem quendam in heremo quem frater cum ad eum car-
nalis frater auxilii gratia advenisset respondisse ut adiret alium fratrem cum ille utique
iam obiisset. Mirante illo et dicente quod mortuus esset se quoque mortu-
um esse respondit. Optime ergo nos docuit dominus ne solliciti simus super pro-
pinquis carnis nostre plusquam religio postulet quando ipse matri et sibi nunc
respondet. Quid mihi et tibi est mulier. Sic et in alio loco cum suggereret ei
quidam quod foris starent cum fratribus dum quererent eum loqui respondit. Que est
mater mea et fratres mei. Ubi nunc sunt qui tam carnaliter et tam inaniter sup-
er carnalibus propinquis suis solent esse solliciti ac si adhuc viverent
et ipsi cum eis. Sed videamus iam quid sequitur. Erant ait evangelista
ydrie sex posite secundum purificationem Iudeorum. Vel ex hoc potest manifes-
tius adverti non plenitudinem sed preparationem nuptiarum esse ubi nimi-
rum est opus purificatione. Desponsationis ergo nuptie iste sunt non co-
pulationis. Absit enim illis in nuptiis fore vasa purificationis quando gloriosam
sibi Christus ecclesiam exhibebit non habentem maculam neque rugam aut aliquid
huiusmodi. Ubi enim non erit macula quid purificatione erit necessaria. Nunc
utique lavandi tempus est nunc purificationis patet ex veritate quia nemo
mundus a sorde nec infans cuius est vite unius diei super terram. Nunc abluitur
sponsa nunc purificatur ut in celestibus illis nuptiis sponso suo sine omni macula
presentetur. Queramus ergo sex ydrias quibus abluto hec et Iudeorum eorum-
dem consistentium purificatio fiat. Nam si dixerimus quod peccatum non habemus nos
ipsos seducimus et veritas in nobis non est que sola liberat sola salvat so-
la lavat. Et si confiteamur peccata nostra non deerit verus Iudeus purificatio-
nis ydrie quia fidelis est deus qui dimittet nobis peccata nostra et emundet nos
ab omni iniquitate. Ego quidem sex ydrias sex observantias arbitror esse
quas ad purificandas conscientias ordinanda sancti patres instituerunt et omnes illas
nisi fallor hic reperiemus invenire. Prima siquidem ydria continentia est ca-
stitatis que delet quicquid ante luxuria inquinavit. Secunda vero ieiunium
est ut quod inordinate in gula nunc abstinentia mundet. Porro sequitur vero
et ociositate que inimica est ac multas contraximus sordes contra dei senten-
tiam in sudore vultus alieni non nostro pane vescentes. Propter hec quoque no-
bis tercia ydria apponitur ut sordes ille in labore manuum diluantur. Sic
et per somnolentiam ceteraque noctium et tenebrarum opera multa deliquimus.
Ideoque quarta ydria vigiliarum observantia ponitur ut nocte surgentes ad con-
fitendum domino nostras noctes per ipsas redimamus. Iam vero de lingua
quis nesciat quam multum inquinaverit nos per vaniloquia et mendacia per
detractiones et adulationes per verba malicie et verba iactantie. Pro his
omnibus necessaria est ydria quinta silentium scilicet custos religionis et in quo

est fortitudo mea. Sexta quoque ydria disciplina est qua non nostro arbitrio
sed alieno vivimus ut adimpleatur quicquid disciplinate vivendo deliquimus. Lapi
dee sunt hee dure sunt hee sed necesse habemus in hiis lavari ne forte veniamus
propter iniquitates nostras accipere a domino libellum repudii. Petri in eo quod dicuntur lapi
dee non solum duricia sed multo melius soliditas potest intelligi quia non valeat
hec nisi firma stabilitate perstiterint. Dicit ergo dominus ad ministros implete
ydrias aqua. Quid sibi vult istud domine. Ministri sunt solliciti de vini pe
nuria et tu dicis implete ydrias aqua. Illi de poculis cogitant et tu precipis ut
vasa purificationis impleant. Sic omnino sic suspirantes nobis ad michaelis am
plexus ipsa precis supponitur. Nobis fratres qui ministri sumus et servi verbi precipit
Christus nobis precipit implere ydrias aqua quotiens deest vinum. Ac si dicat.
Illi devotionem desiderant vinum requirunt fervorem flagitant sed nondum
venit hora mea implete ydrias aqua. Que est enim aqua sapientie salutaris et
sicut dicitur nisi fons vite et item sapientie timor domini. Dicit ergo ministris
incipite meum et spiritu timoris non tam vasa quam corda replete quia ut ad cari
tatem perveniant initiandi sunt a timore ut dicant et ipsi. A timore tuo domine con
cepimus et parturivimus spiritum salutis. Sed quo implebuntur ydrie. Perpende
enim evangelista capientes singule metretas binas vel ternas. Que sunt
due metrete vel tres. Utique duplex timor notus et notus omnibus. Tres
quidem minus notus et minus notus. Primus timor est ne mittamur in ge
hennam. Secundus ne excludamur a visione dei privemurque tam inestimabili gloria.
Tertius replet animam omni sollicitudine timendam ne forte deseratur a gratia.
Et quidem omnis timor domini sicut aqua extinguit ignem sic extinguit pecca
ti concupiscentiam. Sed iste maxime cui ad omnem temptationem statim occurrit ne
forte contingat amittere gratiam ut sibi dicatur homo labatur cotidie de malo
in peius de periculo mortis in graviorem culpam quales utique multos videmus
qui in sordibus sunt sed sordescentes adhuc. Nam adversus timorem istum non est
unde sibi blandiatur anima sive de morte forte quantitate peccati sive de emenda
tione futura. Talibus enim blandimentis impediuntur aliquatenus duo priora ge
nera timoris. Precipit ergo nobis dominus ut hac aqua ydrias impleamus.
Sunt enim aliquando vacue et plene vento si quis tamen a deo vacuus est ut in
eo privatis studiis ille quas professionis observantie moreretur perpe
tua vacuitate ut sunt fatue virgines que acceperunt vasis oleum non habentes. Inter
dum autem quod peius est plene quidem sunt sed plene veneno quod est invidia mur
mur rancor animi et detractio. Propterea forte ne subtrahentur ista dum vinum
deest iubemur implere ydrias aqua ut observentur mandata domini in timore
que tunc mutantur in vinum cum timorem expellit caritas et implentur omnia fer
vore spiritus et iocunda devotione. Sermo de conversione sancti pauli quo
modo quidem ad exemplum eius debemus converti.

Dilectissimi conversio doctoris gentium ab universitate gentium
festivis hodie gaudiis celebratur. Multos enim ab hac inde ira